boues,& quæ reliqua ſunt alia: ſentitq́; de illis, quaſi de horto quodam bona fide ad colendum ſuſcepto, cuius non ſolùm frugiferæ arbores, ſed & quæuis plantæ, quantumuis recentes, magna cura & diligētia aluntur & coluntur. Saul diuerſo erat ingenio. Rapiebat ille quæ populi erant, & ſeruis ſuis dabat. A

OBSER. *Verſ. vlt.* *Bene illi populo, qui ſic habet.*] Quæritur hoc loco, quomodo terrenis iſtis ac fluxis bonis Propheta felicitatem adſcribat? *Reſpondeo*: Quemadmodum miſerum eſt, & cœleſtis plagæ indicium, vbi & liberi noſtri, & ſubſtantiæ & pecora, & agri, *&c.* miſerè habent, vaſtitate, fame ac peſte omnia diſſipantur, & cuncta clamore eiulatu replentur: ſic vice verſa felicitatis genus, & beneuolentiæ Dei argumentum eſt, vbi in populo Dei omnia ſic ſunt comparata, ſicut hîc à Propheta canuntur. Sed hac de re vide Pſal 81. verſu vlt. & Pſal. 112. verſu 2.

Bene illi populo, cuius Deus eſt Dominus.] Admonemur hac particula, non eſſe veræ felicitatis caput, fontem, & ſummam in ea rerum proſperitate, quam Iſraëli apprecatus eſt: ſed in hoc ſitam, quod Dominus ille fons bonorum omnium Deus noſter eſſe dignatur. Hinc eſt vera vita, & ſalus & felicitas ſempiterna. Hac conſideratione excitamur, vt non à terrenorum bonorum facultate, ſed à ſolo Deo noſtro pendeamus: tantumq́; nos felices eſſe ſciamus, quantum beneuolentiæ & gratiæ illius ſumus participes.

PSALMVS CXLV.

ARGVMENTVM PSALMI.

HAbet hic Pſalmus generalem operum ac mirabilium Dei celebrationem, quibus bonitas, clementia, miſericordia, & potentia illius declarantur.

HYMNVS DAVIDIS.

VERS. I. *EXALTABO te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in ſeculum & ſemper.*
2. ב Per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſeculum & ſemper.
3. ג Magnus Dominus & laudatus plurimùm, & magnitudinis eius nulla eſt perueſtigatio.
4. ד Generatio ad generationem laudat opera tua, & potentiam tuam indicant.
5. ה Splendorem gloriæ potentiæ tuæ, & verba mirabilium tuorum commentabor.
6. ו Et robur terribilium factorum tuorum loquuntur, & magnitudinem tuam narrabo. B
7. ז Memoriam multæ bonitatis tuæ eructant, & de iuſtitia tua cantant.
8. ח Clemens & miſericors Dominus, tardus ad iraſcēdum, & magnificus benignitate.
9. ט Bonus Dominus omnibus, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.
10. י Celebrāt te Domine, omnia opera tua, & qui participes ſunt benignitatis tuæ, benedicunt tibi.
11. כ Gloriam regni tui dicunt, & fortitudinem tuam loquuntur.
12. ל Oſtendendo filijs hominum fortitudinē tuam, & gloriam ſplendoris regni tui.
13. מ Regnum tuum regnum omnium ſeculorum, & dominium tuum in omni generatione & generatione.
14. נ Fidelis Dominus in omnib. verbis ſuis, & benignus in omnibus operibus ſuis.
15. ס Suſtentat Dominus omnes eos qui corrunt, & erigit omnes depreſſos.
16. ע Oculi omnium in te ſperant, & tu das illis eſcam in tempore ſuo.
17. פ Aperis manum tuam, & ſatias quicquid viuit pro voluntate.
18. צ Iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis, & benignus in omnibus operibus ſuis.
19. ק Propè adeſt omnibus inuocantibus ſe, omnibus qui inuocāt ipſum in veritate.
20. ר Voluntatem timentium ſe facit, & clamorem eorum exaudit, ac ſeruat eos.
21. ש Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe, & omnes impios perdet.
22. ת Laudem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini ſancto eius in ſeculum & ſemper.

LECTIO. *Verſ. 3.* *Et magnitudinis eius nulla eſt perueſtigatio.*] Ebr. eſt אין חקר. Græc. & vulg Lat. *Nō eſt finis.* Sic legit Felix. Hieron. *Non eſt inuentio.* Sic & Iuſtin. Pagn. *Non eſt inueſtigatio.* Camp. *Vt nemo perſcrutari poſſit illam.*

Verſ. 5. *Splendorem gloriæ potentiæ tuæ.*] Ebr. הדר כבוד הודך. Græc. & vulg. Lat. *Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquētur.* Hieron. *Decorem gloriæ magnitudinis tuæ.* Iuſtin. *Decorem gloriæ laudis tuæ.* Pagn. *Decorem gloriæ potentiæ tuæ.*

Et verba mirabilium tuorum commentabor.] Ebr. eſt ודברי נפלאותיך אשיחה Græc. & vulg. Lat. *Et mirabilia tua narrabunt.* Hieron. *Et verba mirabilium tuorum loquar.* Sic & Felix & Iuſtin. Pagn. *Et res mirabilium tuorum meditabor.*

Et ma-